

De satirarum scriptoribus Romanis.

Carmen illud satiricum, ab Ennio auctore novo modo conscriptum, a Lucilio, Horatio, Persio, Juvenale in primis exultum, planta erat solo Romano innata, intellige id carmen, cuius anima est vitia flagitiaque insectari, turpes scelestosque castigare et ad vitam honestam decoramque cohortari. Omnes satirarum scriptores Romani id propositum habent, ut vitam cuiusque et mores lectori describant, fabulis non suppositis, sine quibus dramata satirica evolvi et ob oculos poni nequeunt. Hi tractant res morales, vitiosos obiurgant, bonos probosque collaudant, censurae suae scommata, risus salesque admiscentes. In eo versantur cuncti, ut vel privatos vel publicos mores perstringant, nec in unum alterumve vitium, sed in universum in corruptam morum disciplinam insurgant. Quem ad finem ridicula seriis immiscent, salibus, facetiis, iocis tamquam telis utuntur. Brevis et directa via, quam instituunt; saepissime ex abrupto ordinant atque molles aditus argumenti suscepti spernunt. Omissis fabulis rem ipsam nominant, vitia ridenda omnibus propinant bellumque inferunt cuvis impio ac scelerato, castigant, pungunt, secant. Quorum lectio adsidua animi morbos sanat vel sanabiles reddit; virtutis enim praecelta carmine alligata non tantum in memoria firmius haerent, verum etiam in ima praecordia efficacius descendunt.

Romani, qui usque ad Ennii tempora tantum modo satira utebantur dramatica, ab Ennio poeta id carmen novo modo conscriptum acceperunt. Is ab Horatio vocatur rufus et Graecis intacti carminis auctor (I. S. X. 66.) et Quintilianus dieit: „Satira tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius.“ Diomedes grammaticus: „Satira dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicuum et ad carpenda hominum vitia archaeae comediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius, Horatius, Persius.“ — Romanorum satiras dramaticas, fabulas Atellanicas, Graecorum dramatibus comicis — satiricis simillimas indeque natas esse, nemo negabit. Spectatorum ut rictum diducerent risu in primis sequebantur; inde lingua ridicula, ista audacia, qua viri insignes lacescebantur atque corripiebantur. Jambi illi maledici, quales legi-

*

mus in Horatii epodis, e graeco profluxerunt fonte, quod Subellus ipse fatetur, dicens, se Archilochi numeros animosque secutum esse. Ep. I. I. XIX. 25.

„Parios ego primus iambos

Ostendi Latio, numeros animosque secutus

Archilochi, non res et agentia verba Lycamen.“

Silli quoque illi, quales scripserunt Timon et Xenophanes, differabant a satiris Romanorum; scripti enim erant adversus unam hominum classem, adversus philosophos eorumque ineptias atque errores.

H. Ennius, satirae parens, a Romanis vocatus alter Homerus sive poeta *χατ' εξο-*
χην, Rudiis in Calabria natus, inde Rudius, a Q. Fulvio nobiliore in civitatem receptus obiit sexagenarius DLXXXV. u. c. Scripsit annales, historiam secundi belli punici, quo centurio excellebat, tragoedias, comedias, satiras, carmen quoque, quo Scipionem Africanum maiorem, victorem apud Zamam ornavit. Poetae fragmenta primus collegit Hieron. Columna ediditque anno MDXC.

„Carus fuit Africano superiori Ennius; itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore.“ Cie. pro Archia, c. IX. Non corripiebal more Timonis Xenephanisque philosophos eorumque ineptias, sed quemvis maleficum atque seeleratum; nec minus legentium risum movebat quam sanabat animosque meliores reddere studebat. Eins successores in primis vitia ostendebant nuda, sapientiam animumque generosum commendantes. Testes satirae, quae bellum indicunt stultis, turpibus, scelestis. **C.** Lucilio, Ennii successori, Horatius insigni dicit laudi, quod quemvis malum, furem, moechum, sicarium aut alioqui famosum corripuerit magna que cum libertate notabit. Satis laudis Radio tribuitur a Venusino, qui satirae inventorem eum adpellat. S. X. 23.

„Hoc erat, experto frustra Varrone Attacino

Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,

Inventore minor . . .“ — Ab eodem vocatur sapiens i. e. poeta eruditus, ut saepe poeta graeci σοφοι nominantur. Hexametrum primus induxit, quum vates priores numero saturnio utsentur. „Ennium sicut sacros vetustate lucos adoramus, in quibus grandia et antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem.“ Quintil. inst. 10. 4.

III. Satirae inventoris vices suscepit M. Pacuvius, Brundusii natus, filius sororis Ennii, hospes Laelii, floruit circa annum DC. u. c. sed de hoc multo pauciora possimus referre, quam de satirarum parente. Satiras ab eo conscriptas esse, testatur Diomedes grammaticus, qui de illo narrat haec: „Olim carmen, quod ex variis poematis constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. lib. III. p. 482. edit. Putschii. Varios versus, iambos, hexametros, anapaestos satiris suis immiscuerat. Simul cum Attio primus Romanorum tragoedus collaudatur. Hor. ep. II. 4. 56.“

Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoeidiis Pacuvii atque Attii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecta. „Vell. Patrc. 2, 9, 5. Decessit Tarenti, nonaginta annos natus. Pacuvium subsequitur C. Lucilius, eques Romanus, ex oppido Auruncorum, Suessa oriundus (anno DCVI u. c. natus, anno DLI mortuus, teste Eusebio in chronico.). D. J. Juvenalis eum adpellat magnum Auruncae alumnum, i. e. indigenam et Horatius eum vocat senem propter gravitatem argumenti, in quo se exercuit et tempus, quo vixit; non propter multos annos.

„Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens

„Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est

„Criminibus, tacita sudant praecordia culpa.“

Juv. S. I. 165.

. . . . „Secuit Lucilius urbem,

Te Lupe, te Muti, et genuinum fregit in illis.“

Pers. S. I. 114.

Satirarum, quarum XXX libros scripsisse traditur, nulla integra ad nos pervenit, sed disiecti tantum membra poetae, quae a viris doctis summa diligentia collecta sunt. Membrorum disiecti poetae vero satis multa, ut scriptoris rationem et linguam ex iis facilis negotio discas. Praeterea de hoc iudicia lata sunt adeo multa et toties eius fit mentio in veterum scriptis, ut plura atque certiora de eo referre possimus, quam de antecedentibus. Unanimiter consentiunt veteres, Lucilium versu tantummodo heroico in satiris usum esse, quod de Ennio nequit dici. Hexametri quidem neutiquam rotundi facilesque sunt collaudandi, verumtamen his versibus, quos faciles reddere studebat, nec iambici nec anapaestici admixti sunt, quod et Horatius testari videtur. I. S. IV. 37.

„Olim quae scripsit Lucilius, cripias si

„Tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est,

„Posterius facias, praeponens ultima primis,

„Non, ut si solvas: Postquam discordia tetra

„Belli ferratos postes portasque refregit,

„Invenias etiam disiecti membra poetae.

Alia laus ei tribuitur a Venusino, quod comiter et urbane irriserit Ennioque et tota seniorum poetarum turba limatior fuerit.

Fuerit Lucilius, inquam,

Comis et urbanus; fuerit limatior idem,


Quam rufis et Graecis intacti carminis auctor,

Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,

Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,

Detereret sibi multa. I. S. X. 64.

Cicero quoque mentionem facit Lucilii, viri docti atque perurbani. In ep. ad fa-



mil. l. **XV.** 9. in primis collaudat eius facilitatem, atque festivitatem. „Itaque te quum video, omnes mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et Laelios videre videor. Moriar, si praeter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festivitatis agnoscere.“ Eupolis, Cratinus, Aristophanes, alii, Lucilio praelucebant, de quibus Horatius, qui Lucilii satiras ad manus habebat:

„Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae

Atque alii, quorum comedia prisca virorum est,

Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,

Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui

Famosus, multa cum libertate notabant.

Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,

Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,

Emunetae naris . . . I. S. IV. 1.

Ergo Lucilius in satiris id propositum habebat, ut notaret se caretque vitiosos nec solum risu lectoris rictum diduceret. In primis vero libere et aperite, amoto quovis velamento, corripiebat et castigabat, qui vitiis erant obnoxii, quod testatur Horatius, eius successor, quodque probatur viris, qui in satiris notantur. Franciscus Dousa enumerat **XIV**, quos, ut elucet e fragmentis, carpsit; in his **Q.** Opimum consulem, qui plures Liguriae gentes vicerat, **Q.** Caecilium Metellum, qui propter victorias de Macedonibus et Achaeis reportatas cognominatus erat Macedonicus, nec minus Corn. Lentulum Lupum. Ante libertatem ab imperatoribus occupatam mira carminis acerbitate nominatim hominum vitia carpsit, de quo Horatius I. S. 68. „Primores populi arripuit populumque tributim; Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.“

Libro satirarum quarto in divitum luxuriam eorumque vitia inventus erat; secuerat convivatores intempestivos ac temulentos, quod apparet e fragmentis et scholiis antiquis, ubi legitur, hanc satiram e Lucilii libro **IV** esse translatam, castigantis divitum luxuriam et vitia. Bene hic virtutis rigidus satelles:

„Commoda praeterea patriae sibi prima putare,

Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.“

IV. Suessani satirae erant severae acresque; iocis admiscebat notas graves atque acerbas; eius salibus, iocis, facetiis animoque hilari gaudebat ipse Cicerio, pulcri haud imperitus. Horatius ut supra dictum, insignem ei tribuit laudem, versus vero duros reprehendit additque causam. I. S. IV. 8.

. . . „Facetus,

Emunetae naris, durus componere versus;

Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,

Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.“

7

~~~~~

In satire X. 4 — 5. in ineptos Lucilii fautores scripta leguntur:  
Nempe incomposito dixi pede currere versus  
Lucili: quis tam Lucili fautor inepte est,  
Ut non hoc fateatur? Ad idem, quod sale multo  
Urbem defricuit, charta landatur eadem.  
Nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cetera.

Ergo pede incomposito currebant versus Lucilii, idem vero sese commendabat animo aperto atque libero; verbis latinis graeca admiscebat, attumen salis abunde festivitatisque proferebat, ut Ciceroni aliisque viris amplissimis placeret. Hor. S. X. 67. de eo:

„Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,  
Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra  
Perfectum traheretur, et in versu faciendo  
Saepe caput scaberet vivos et roderet ungues.“

Quibus dictis Quintilianus (Instit. I. X. 4.) adsentire videtur, si rem ipsam spectas, etsi Venusini verba duriora non probat. — Quod attinet Lucilii fragmenta, quae Janus Dousa ex scriptoribus veteribus collegit — sunt quidem plurima, verumtamen non sufficientia, ut inde, rebus bene cognitis, ipse possis iudicare, quatenus Horatius vere dicat:

„Garrulus atque piger scribendi ferre labore;  
Scribendi recte; . . . .“

Quae pertinent ad haec dicta, confidere possumus, ut mihi videtur, in iudicio viri elegantissimi, qui dicit, incomposito pede currere Lucilii versus; cui enim placere queunt versus hi:

Tum lateral' dolor certissimu' nuntiu' mortis —  
Huncce ego unquam Hyacintho hominem Cortinipotentis  
Deliciis contendi?

Venusinus Suessanum magna cum voluptate laudat saepius, quod magnam doctrinam, multum libertatis abundeque salis habeat. Idem laudat Quintilianus, qui tamen fatetur, Horatium multo tersiorem et purum magis esse. Quantopere Lucilius Romanis placuerit, inde eluet, quod ipso Quintiliani tempore (centum post annis) amatores erant, qui eum non tantum Horatio, sed etiam omnibus aliis poetis praeferabant. Cic. ipse Lucilii usquam facit mentionem, quin eius urbanitatem multa cum laude tollat. Eius saporem vernaculum, antiquam et vernacularam festivitatem atque urbanos sales omnibus Atticis praeferebat. In ep. ad Paetum: „Te quum video, omnes mihi Granios, Lueilius, vere ut dicam- Crassos quoque et Laelios videre videor. Moriar, si, praeter te, quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae vernaculæ festivitatis agnoscere.“ Hinc liquet, quare Horatii indicium in partem adeo malam

susceptum sit, ut sat. X. libr. I. sese defendere cogeretur. Re vera poeta, qui Atheneis animum excoluerat, sapori magnae turbae minus conveniebat, quam Lucilius senex.

V. Lucilii aetas, si ad mores spectas, erat quidem vitiosa, sed non omnino vitiis criminibusque immersa, aegrotabat tenuique utebatur valetudine, nondum vero insanabilis erat; malorum, quae Graeciae Asiaeque victores e terris occupatis domum tulerant, reperiebantur multa atque periculosa, sed et remedia, quae adhibebantur, neutiquam frustra. Hominum debilitatorum atque aegrotorum aderant multi, verum etiam existebant medici, viri summis virtutibus ornati summeque venerandi, qui luem progressu impediabant et maiorum mores virtutesque fortissime tuebantur. Duces strenui senatoresque optime meriti, factorum a moiöribus praeclarissime gestorum bene memores, centum fere per annos adversns vitia a populis devictis illata, magnopere pugnabant. Illi duces celeberrimi, qui inde a secundo bello punico usque ad Graechorum tempora vivebant, et patriae hostibus et moribus corruptis aequre fortiter obviam ibant, optime persuasi, cives Romanos bonis moribus veraque virtute non solum magnos, verum etiam felices reddi. Quare illi aetati Lucilius, morum censor optimus, accomodatissimus venit. Poetam audacem timorisque expertem non tangit, si quem offendit sive irritat, si percūtit sive vulnerat; intrepidus vitia castigat virtutesque collaudat, et Laelii et Scipiones arrident atque applaudunt. Itaque in deliciis habebatur a viris probis et iustis, huiusque carminum genus inde ab Augusti aevo magis magisque usurpatum est; Horatii enim succendentis sermones sunt satirae Luciliana et quidem vere comicae, vide Progr. Richlingbusii 1845. p. 6. seqq. quo Venusinus comparatur cum Juvenale, quare nunc A. Persium aetate proximum ordiamur.

VI. Aulus Persius Flaccus, eques Romanus, natus in Etruria Volaterris pridie Nonas Decembris, Persico, L. Vitellio coss. Persiae gentis auctor procul dubio Graecus fuit, Persius enim nomen graecum est, item Perseus sive Persaeus. Flacco patre privatus est pupillus annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio, equiti Romano, quem quoque extulit intra paucos annos (quod legitur in eius vita a vetustissimo auctore scripta, sive Probus hic fuit sive alius). Aetatem puerilem Persius peregit Volaterris; inde annos duodecim natus venit Romam studiisque incubuit apud Remmum Palaemonem grammaticum et Virginium Flaccum rhetorem. Sedecim annos natus audivit Annaeum Cornutum Leptitanum, philosophum Stoicum, qui eruditio-  
nis laude et disciplinis humanoribus excultus Romanae iuventuti ad sapientiae stu-  
dium magisterio suo praebat. Huius viri sapientissimi amicitia mox ita coepit uti, ut  
nusquam ab eo discederet. Summam familiaritatem, quae ei fuerat cum Cornuto suo  
describit ipse S. V. 41.

„Tecum etenim longos memini consumere soles,  
Et tecum primas epulis decepere noctes.  
Unum opus et requiem nariter disponimus ambo,  
Atque verecunda laxamus seria mensa.“

Illo tempore **Claudius Agaternus**, medicus **Spartiates**, **Petronius Aristocrates Magnes**, **Annaeus Lucanus**, poeta celeberrimus, apud eundem **Cornutum philosophiae operam** navantes, arctissima amicitia coniuncti erant cum **Persio**, aequali suo. Praeter quos poeta a prima adolescentia amicos habuit **Caesium Bassum** \*), poetam lyricum, et **M. Servilium Novianum**, rhetorem. **L. Annaeum Senecam** serius cognovit, quin eius ingenio caperetur; familiarissime vero usus est **Paeto Thrasea**, viro gravissimo et magno saeculi ornamento, qui **Arriam**, eius cognatam, uxorem duxerat. **Persius** fuit forma pulcherrimus, moribus lenis; educatio liberalis, eius verecundia virginalis, modestia singularis, pietas erga matrem, sororem, amitam maxima. **Agros** habuit in ora **Etruriae**, agro **Lunensi**, in quos urbe relictâ saepissime secedebat. Dicit ipse: **S. VI. 6.**

„**Mibi nunc Ligus ora**

**Intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens**

**Dant scopuli . . .“**

Tum versabatur apud Fulviam Sisenniam matrem, quae **Liguri** cuidam sive **Lunensi** nupserat. Poetae, claris natalibus orto, magnis opibus atque eruditione singulari conspicuo, per brevitatem vitae totum se palam facere et ingenii dotes proferre non licuit, quare non sine aliqua ipsius iniuria committi potest cum **Horatio** et **Juvenale**, verumtamen non est indignus, qui comparetur cum tantis ingeniis. Periit vitio stomachi, anno aetatis **XXVIII.**; reliquit circa **H — S** vicies matri et sorori, rogans, ut darentur **Cornuto** sestertia centum, ut alii tradunt, argenti facti pondo **XX** et libri circa **DCC**, ex quibus **Cornutus** autem nil nisi libros sustulit. Seripserat **A. Persius** fabulam praetextam, ‘**Οδοιπορικα**’, paucos quoque in socrum **Thraseae**, **Arriae** matrem, versus; quae omnia, **Cornuto** auctore, abolita sunt. Ad nostra tempora pervenit unicus liber satirarum, quem editum continuo mirari homines et diripere coeperunt.

**VII.** Satiris sex, quae ad nos pervenerunt, praeludit poeta prologo, quo retundit urbaneque castigat desiderium poetandi, iam inde ab Augusti tempore familiarem plerisque Romanorum morbum, qui vero mirum quantum auctus erat Nerone principe, lauram poeticam palam affectante. Huius enim ad exemplum levissimus quisque literarumque rudis poetae nomen sibi vindicabat, nec ullum ingenii argumentum proferens, nisi illud ineptum et vanum, quod afflatu repentina Musarum factus esset poeta. **Petronius Arbiter**, **Persio** aequalis: „**Multos, o iuvenis, carmen decepit; nam ut quisque versum pedibus instruxit, putavit, se continuo in Heliconem venisse.** Si forensibus ministeriis exercitati frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum faciliori refugerunt, credentes, poema facilius extrui posse, quam controversiam sententiosis vibrantibus pictam. Talem vesaniam arguit poeta:

\*) In suis agris in Sabinis deorum et heroum laudes cecinit hymnosque composuit. Quintil. institut. or. X. 1.

„Nec fonte labra prolui Caballino,  
Nec in bicipiti somniasse Parnasso  
Memini, ut repente sic poeta prodirem.“

Item Horatius:

„Scribimus indocti doctique poemata passim.“

Alio loco: — „populus levis hoc calet uno

Scribendi studio: pueri patresque severi

Fronte comas vincti coenant et carmina dictant.

Ingeniose Persius eodem prologo cum psittacis, corvis, pieis poetas componit famelicos; piea enim cibi aviditate, qui ostentatur, in loquela humauam erumpit, poeta famelicos, ingenio destitutus, egestate impellitur, ut versus faciat.

VIII. Uni aequus virtuti, perpetuus ac constans vitiorum inimicus, stoicam professionem nusquam obliviscens monstrat viam rectam, qua ad rigidam solidamque virutem eatur. In satira I. agit de studiorum corrupta ratione; nec poetae nec oratores eo animo ad literas accedunt, quo est par; dicendi scribendique leges corrumpunt, literis ad inanem ambitionem abutuntur; ipsorum auditorum iudicia sunt perversa. In satira II. (est amici dies natalis, quo magna religione vota concipiebantur in annum proximum) arripit poeta occasionem de votis disserendi cum Plotio Macrino condiscipulo ac familiari, quem secus non dilexit ac patrem. Multa exitiosa petuntur: alii res impias a diis petunt, quos graviter increpat, alii non impia quidem deos poscent, sed frivola, quorum ineptias tangit et ritus in precibus percipiendis superstitiones irridet. — Philosophi Stoici personam sustinens in satira III. invelutur in iuvenes Romanos nobilitate atque opibus florentes, qui studia literarum atque in primis philosophiae negligenter tractabant sive contemtu habebant. Notat horrorem studii gravis magnique laboris: hinc perniciei fontes. Equi dociles teneris singuntur cervicibus; quare iuvenes nobili genere natos in cute curanda plus aequo operatos, quibus pulerum, in medium diem dormire, minimeque animum intendentis studiis et rebus honestis irridet contemtuque dignissimos exagit. Ad capessenda philosophiae studia magna contentione hortatur, divinis plane versibus totius moralis doctrinae [summam complectens]. Discite, o miseri, (ita ad sapientiae amorem cordatos iuvenes accedit)

„Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,

Quid sumus et quidnam vieturi gignimur, ordo

Quis datus, aut metae quam mollis flexus, et unde.

Quis modus argento, quid fas optare, quid asper

Utile nummus habet. Patriae carisque propinquus

Quantum elargiri deceat; quem te Deus \*) esse

\*) Deus iussit non dii, ita Seneca, M. Antonius, Arriannus, alii, in explicandis suae scholae decretis Deum unum prodebant causam efficientem huius universi.

Jussit et humana qua parte locatus es in re.“

Satiram IV. scripsit adversus eos, qui, etsi totius rei publicae imperiti rationem eius administrandae nec didicerant nec sciebant, nihilo minus pro se quisque imperii gubernacula capessebant ac laudem bonorum affectabant. Regebant imperium iuvenes depravissimi, summa nequidquam pelle decori, quorum princeps Claudius Nero. Tangit poeta gulac intemperantium, libidines et probrosam corporis curam. — Annaei Cornuti, viri iuxta sapientis ac docti, praeceptoris sui laudes persequitur satira V., pietatem erga hunc virum bene meritum prolixo aperit iuyenesque hortatur, ut viro adeo excellenti in disciplinam sese dedant. Illorum desidiam increpat eosque ad libertatem hortatur. „Omnes praeter sapientem servi, nemo liber.“ — De legitimo divitiarum usu agitur in sat. VI. invehiturque in illos, qui hac praeclara virtute destituti vitiis contrariis serviant.

IX. Haec satirarum argumenta; sed si respicis Romanorum crimina et flagitia, Persii tempore grassantia, mirum videbitur, cur poetae indignatio non potius infremuerit in ista. Intra annos sexaginta, qui Horatii obitum a Persii natalibus sciungunt, cives Romani admodum mutati erant; morum corruptela ingens fastigium adepta erat. Principes scelestissimi, Tiberius, Caius, Claudius, sine intervallo sibi succedentes, orbem terrarum tenuerant subditosque in summam profunditatem depresserant. Magna accusatorum occultorum vis grassabatur in dies, nec minus avaritia, licentia, lascivia, mollities. „Quare non (ita reprobant) excanduit poeta telaque sua coniecit in caussidicos, sceleribus dites factos, atque in delatores nequissimos? Quomodo potuit pati tantam urbis iniquitatem, ut non fremeret? Ne persona quidem grata imperatori fuit tuta a delatoribus. Stupra promiscua ingenuorum et feminarum; serpebant vitia turpisima et in proximum quemque transsiliebant contactuque nocebant. Cur non irruit in Romanos turpes et exordes, in canes immundos, in corpora sine pectoribus? Liberti quam abiecti! Immo nobiles eo insolentiae et impudentiae venerant, ut non solum non erubescerent armis tecti in arena decertare more mirmillonis, qui galea tectus et scuto pugnabat, sed etiam omnia facie aperta peragerent, habitu retiari tunicati, qui tunica coopertus dimicabat fuscinam reteque gestans; gaudebant enim cognosci. „Vere dicta, si ad mores spectas; sed audi, quae contra dicam. Satirae, quarum argumenta indicavi, sunt prima tentamina iuvenis nobilissimi, cui praelucebat Horatius, merita fronde decorus, cuius in sermonibus illa partim brevius, partim copiosius tractata sunt. Ingenia praeclarissima, quorum non pauca tum effloruerant, aegre se continebant, quo minus ingenui doloris testimonia (omnia enim susque deque miscebantur in urbe) scriptis suis traderent. Nec abstinuit Persius, quin stili sui mucronem tam in ipsum Neronem stringeret, quam in reliquos similis dementiae iuvenes, adversus quos satira IV. scripta est. Sale satirico defricuit libidine aliisque vitiis infames; indignationi vero habenas sic laxavit, ut non palam, sed tecte aliquantoque mollius in sceleratos flagitososque invehetur. Bene sciebat, in principis aula non deesse foedos delatores pro-

\*

beque norat, quum ad satiras scribendas se accingeret, quantam rem et quam periculosa moliretur. Quare abstinuit rebus omnibus, quae Neronis personam proprie denotaturae essent.

Praeterea Persium moderati stili modum exceedentem Cornutus fidus, non dubito, saepe interrogavit: „Quorsum haec? Crudelissimum et Φοινικώτατον tyrannum metuens hic praeceptor sapiens Persio sribenti adsuit vetusque verbum Σχότισον de industria cebro insusurravit; Cornutus enim propter liberiorem de eius carminibus vocem multatus erat exilio. Τὸ ἀληθὲς πικρόν. Praeclarum responsum et viroforti dignum, quod legitur apud Stob. T. 45. p. 145. Φιλόξενος παραδοθεὶς ὑπὸ Διονυσίου ποτὲ εἰς τὰς λατομίας, διὰ τὸ φαυλίζειν τὰ ποιματα αὐτοῦ, καὶ ἀναληθεῖς, ἔπειτα πάλιν ἐπὶ τὴν ἀκρόσιν αὐτῶν ἐκλήθη. Μέχρι δέ τιος ὑπομείνας ἀνέστη. Πυθομένου δὲ τοῦ Διονυσίου, ποτὶ δὴ σύ; εἰς τὰς λατομίας, εἶπεν.“ Bene Augustinus: „Veritas et dulcis est et amara; quando dulcis est, parcit; quando amara, curat.“ (Epist. ad Romulum). Summis laudibus extollendus, de quo dici potest:

Wer dem Tod ins Angesicht schauen kann,

Der Wahrheit Held ist der freie Mann.

Necem nequit timens D. Juvenalis, satirarum scriptor praeclarissimus, hanc abstinuit, quominus, centenis quamvis compedibus vinetus, incurriteret in sceleratum quemvis, ut prosterneret conculearetve. Persius iuvenilis illis, quae elegerat, argumentis, non incidit in periculum, ne principi displicens vitam facultatesque in disserimen committeret. Stoicum de ultimo fine dogma ubique urget, ubique inculcat; non minus enim de virtute loquebatur quam ex virtute vivebat. Varia argumenta eodem carmine non complectitur, id habet propositi, ut argumenti tristitiam reprehensionesque atroces iocorum festivitate exhibaret; longe vero hac laude superatur ab Horatio et Juvenale. Jocosa tamen, nec invenusta haec:

„Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est,

Rancidulum quiddam balba de nare locutus,

Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,

Eliquat, et tenero supplantat verba palato.

Assensere viri. Nunc non cinis ille poetæ

Felix? Non levior cippus nunc imprimit ossa?“

In describendo grandis est. Hominum sordide parcorum tenaciumque mores magna cum evidentia effingit. E. g. in sordide parcum haec: (S. IV. 24.)

„Nostin' Vectidi praedia? Cuius?

Dives arat Curibus quantum non milvus oberrat.

Hunc ais? Hunc diis iratis genioque sinistro,

Qui, quandoque ingum pertusa ad compita figit,

Seriolae veterem metuens deradere limum,  
 Ingemit: Hoc bene sit, tunicatum cum sale mordens  
 Caepe, et farrata pueris plaudentibus olla  
 Pannosam faecem morientis sorbet aceti.“

Horum argumentorum quae a Volaterrano tractantur, plura iam in Horatio leguntur. Ad sat. I. confer epist. I. 49; nec non ad sat. V. conf. S. II. 7.

X. Philosophorum more modoque a thesi proposita non digreditur, aberrat certe nunquam; Horatius contra materiam, quam aggressus est, saepe videtur deserere lectoremque deducit in gratissimas vias laterales, sed de improviso attigit, unde exiit. Persius progreditur via recta, nec ad dextram aberrans, nec ad sinistram; meta, quam petit, nusquam ex oculis amittitur. Uterque bene scit adamatque sapientiae praecpta; Venusinus vero experientia doctus institutus est atque imbutus illis praecceptis sapientissimis, quae percipiuntur ex hominum vita usque. Eius urbanitas animusque hilaris lectorem reddit serenissimum. Disciplinam stoicam Volaterranus amplectebatur summa reverentia, sive natura ductus, sive ut resisteret corruptis temporum moribus. Jam natura modestissimus Cornuti usu familiarissimo totus et ad severitatem et ad gravitatem adactus est, quae, magistro poeta tragicō, Lucano Bassoque auctoribus, immixtae sunt eius satiris, quae Horatii ridentis sermonibus multum differunt. Nihilo tamen secius poeta iuvenilis multa praeclara ac pulera in satiris nobis tradidit, ut doleas, quod viam modo initam abrumpere fato coactus sit. Locus iste (S. II. 71.) quam praecellissimus!

„Quin damus id Superis, de magna quod dare lance  
 Non possit magni Messalae lippa propago:  
 Compositum ius fasque animo, sanctosque recessus  
 Mentis et incoctum generoso pectus honesto.  
 Haec cedo ut admoveam templis et farre litabo.“

„Opfern den Himmlichen wir, was nicht auf der stattlichen Schüssel  
 Messals Sohn, der Verderbte, den Göttern zu opfern im Stand ist:  
 Heiligen Sinn für Recht und Gerechtigkeit, und in der Seele  
 Tiefes Gefühl und ein Herz, von Tugendeifer durchdrungen —  
 Bringst du mir das in die Tempel der Götter, dann opfer' ich Mehl nur.“

In sat. III. V. 55. poeta omnibus poenis, quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines, qui vitia, quae vitare non possunt, coguntur agnoscere; quare stupori nattae opponit acerrimos cruciatus, quos tolerant ii, qui virtutem cognitam habuerunt, nec usi sunt ea.

„Magne pater divum, saevos punire tyrannos  
 Haud alia ratione velis, quem dira libido

Moverit ingenium ferventi tineta veneno,  
Virtutem videant, intabescantque relieta.“

Nihil miserius quam animus hominis conscius. Maxima quaeque tormenta prae flagello conscientiae levia. Plaut.

Volaterranus noster, quod ad dictionem pertinet, brevis esse laborat oreque rotundo loqui, sed haud infitiandum, ei quoque ab Horatio dici:

„Decipimur specie recti; brevis esse labore,

Obscurus fio; sectantem levia nervi

Deficiunt animique; professus grandia turget;

Serpit humi tutus nimium timidusque procellae.“

Poetae versus apti, sonori, absque mollitie concinni, quidam magnifici. — A Persium subsequitur D. J. Juvenalis, Aquinas, libertini locupletis, incertum, filius alumnum, cuius satiras comparavi cum Q. Horatii satiris in progr. Richlinghusii

**MDCCXLIII.**

